



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

§. 1. De Spe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

itudinē peruenire, diuinumque auxili-
 lium nobis ad hoc paratum esse, per
 hanc virtutem speramus, & Dei be-
 neficio finē nostrum nos aliquādo af-
 sequuturos esse confidimus. Spei autē
 adiungenda est *fiducia, & timor*. Fidu-
 cia quidem, quoniam æquum est, nos
 à Deo minora exspectare, qui spera-
 mus maiora & potiora. Timor verò,
 quia licet Deus paratissimus sit, ho-
 minibus beatitudinem dare, ipsi ta-
 men, qui per peccata à Deo deesse
 possunt, debent iustè timere, ne ob
 culpam suam non mereantur acci-
 pere.

De Spe §. I.

Spes, est virtus Theologica, residens
 in voluntate, qua firmiter ex gra-
 tia Dei meritisque precedentibus
 speramus beatitudinem eternam. Vnde
 Paulus ait: *In spem vitæ æternæ, quam Ad Tit.*
 promisit, qui non mentitur Deus, ante ^{1,2.}
 tempora secularia. Est autem de rebus
 creditis, siue non visis: spes enim
 quæ videtur, non est spes: nam quod
 videt quis, quid sperat? Non tamen
 se ex-

66 DE VIRTUTE SPEI.

August.
Enchirid.
l. 8.

se extendit ad omnia credita, quia ut inquit Augustinus, *fide credimus bona, & mala præterita, præsentia, & futura, spe verò solùm speramus bona futura.* Insuper fides rerum est nostrarum & alienarum; at spes solùm nostrarum, vel ratione charitatis, qua iungimur alijs, ad nos quodam modo pertinentium.

Incitamenta ad Spem sunt: I. Spei præsentissimum Dei auxilium, quò à malis liberemur, & in bonis protegamur, promissum est. *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Et: *in te sperauerunt Patres nostri, sperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: In te sperauerunt, & non sunt confusi. Et respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Et Bernardus: *Quemcumque locum calcauerit pes vester, vester erit; pes vester, utiq; spes vestra est, & quantumcūq; illa processerit, obtinebit, si tam in Deum tota figatur, ut firma sit, & non titubet.*

Bernar.
serm. 15.
in Psalm.
90.

II. Spes est huius vitæ beatitudo,

ex

ex eo enim iusti, beati sunt, quoniam ius habent ad beatitudinem, & eam post hanc miseram vitam, obuenturam sperant. Ideo sanctus David: *Beatus vir cuius est nomen Domini, spes eius.* Et Augustinus: *Sicut spe salui, ita & spe beati facti sumus: & sicut salutem, ita & beatitudinem, non iam tenemus presentem, sed speramus futuram.*

Psal. 39.

5.

August.

lib. 19. de

civit. 6.

4. 4.

III. Illa verba Domini spem excitant: *Confidite, ego vici mundum.* Peruersum enim istud sæculum, quo nomine omne genus peccatorum comprehendimus, nostrum iter ad æternitatem retardat, ac adeptionem beatitudinis impedit. Si autem Christus illud vicit, & sub pedibus nostris ligatum prostratumque supposuit, non est cur (hoste iam victo) de victoria desperemus, immò est, cur de immensa Domini pietate salutem nos adepturos confidamus.

Ioan. 16.

33.

Actiones Spei sunt: I. Sperare animę beatitudinem: nempè quòd statuto tempore, cum hanc vitam deseremus,

remus,

remus, purgatis imperfectionibus nostris, videbimus Deum, sicuti est, oculis animæ, lumine gloriæ illuminatis, & diligemus eum amore perfectissimo & incessabili, & fruemur eo, delectatione purissima, & interminabili, & in æternum possidebimus.

II. Expectare beatitudinem corporis, nimirum quod corpus hoc corruptibile, postquam ceciderit, resurget incorruptibile, & immortale, impassibilitate, claritate, agilitate, & subtilitate vestitum, & nunquam his donis, hacque pulcritudine, & maiestate priuabitur.

III. Sperare mansionem perpetuam in illa ciuitate coelesti, non manu facta, quam habemus in coelis; Beatæ virginis, omnium Sanctorum, & Angelorum, qua fruemur, visionem, & cum illis beatissimis spiritibus iucundissimam societatem.

IV. Sperare à Domino media ad hanc felicitatem consequendam. Nèpè,
1. remissionem peccatorum. 2. extinctionionem vitiorum. 3. mortificationem
passionum

passionum. 4. adeptionem virtutum.
3. victoriam tentationum. 6. intimam
cum Deo familiaritatem. Hęc, inquā,
in ea mensura speranda sunt, quate-
nus necessaria erunt ad gradum bea-
titudinis obtinendum, ad quem De-
us nos prædestinauit.

V. Sperare adiutorium sanctorū
& Angelorum, qui tum orationibus,
tum gratiarum impetratione nos iu-
uabunt ad hoc, vt beatitudinem con-
sequamur.

VI. Sperare vniuersa hęc, non ex
proprijs meritis, sed ex immensa bo-
nitate Dei, & ex meritis Christi IE-
SV, quæ vt caput nostrum, nobis, mē-
bris suis, liberalissimè donauit.

VII. Ob hanc largissimam tan-
torum bonorum spem, falsa mundi
bona contemnere, & inenarrabili læ-
titia perfundi.

VIII. Viriliter resistere malis, &
confortari in bonis, & ardua quæque
vitæ spiritualis aggredi propter a-
morem beatitudinis.

IX. Hęc omnia, quæ diximus, spe-
rare, danda esse proximis à Deo præ-
desti-

desti-

70 DE VIRTUTE SPEI.

destinatis, & nobis cum charitate
coniunctis.

*Iere. 14.
&*

Postulatio Spei. Domine IESU
Christe *expectatio Israel, & Saluator
eius in tempore tribulationis.* qui de
coelo descendisti, vt nos in coelum
eueheres, & mortem acerbissimam
pertulisti, vt nobis peccato mortuis,
nunc vitam gratiae, & postea vitam
gloriae donares: obsecramus te per
incomprehensam bonitatem tuam,
vt spem bonorum aeternorum, quae
dilectis tuis parasti, in nobis augeas,
& nos, qui aeterna speramus, tem-
poralia aspernari concedas. Amen.

De Fiducia. § II.

*Pf 26.1.
23.*

FIDUCIA est *expectatio firma,*
quod Dominus in omnibus neces-
sitatibus, tum temporalibus, tum
spiritualibus, nos iuuabit, & in tribula-
tionibus non derelinquet. Qua seipsum
roborabat sanctus Dauid, cum dice-
bat: *Dominus illuminatio mea, &*
salus mea, quem timebo? Dominus pro-
tektor vitae meae, à quo trepidabo? Sicō
sistunt aduersus me castra, non timebit

cor